



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Dorsum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE CERVICE.

CAP. LIII.

Hec est posterior collis pars, nam anterior gula dicitur.

ADjuncta capiti cervix est, ita ut caput raro sine cervice proponatur. Ea autem, ut sola aliquando habet hieroglyphicum. Nos igitur & naturam & hominum mores secuti, aliquid etiam super ea referemus. Neque enim frustra illa modo mollis atque summissa, modo rigida erectaque, sed veluti ex habitu gestuque aliquid præ se fert, quod omnibus manifestum videatur, ita non indigenter veteres sua inde significata desumpserunt.

SUPERBIA. CAP. LIV.

Indivinis sane literis pro arrogantia atque superbia cervix accipitur, quare Psalm. 29. supra centesimum, *impiorum concisas cervices* legas, pro edomita superbia: Quamvis eo loco non desunt qui *Funes*, hoc est, *Vincula* legendum asseverant: quæ scilicet injecturos se minitabantur. Pro clari vero signo, *Eliis Sion ambulaverunt extento collo*, Esaia 3.

FEROCITAS. CAP. LV.

Nostri ferocitatem per cervicis hieroglyphicum exprimere maluerunt: unde Horatius in Epistolis,

— *At vos
Seu calidus sanguis, seu verum inscitia vexat,
Indomita cervice feros.*

Et etatæ rigidæque cervicis homines physiognomici superbos esse dicunt. Et apud Esaiam cap. xx. contumax huiusmodi vitula, sternax, & indomita, pro ingenii nostri documento notatur. Et Psalm. xxix. supra centesimum: *Dominus justus concidet cervices peccatorum.*

AUDACIA. CAP. LVI.

Pro audacia, multa apud Ciceronem, ut illud in Verrem: *Tamen si qui erunt tantis cervicibus recuperatores, qui audeant in provincia, cum Prætor adsit, contra voluntatem ejus judicare, & huiusmodi* peraque.

SUMMISSIO. CAP. LVII.

Contra vero summissum animum apposito jugo significat, estque hieroglyphici huiusmodi metaphora apud scriptores usitatissima. Cicero in Ant. *Danda cervices erunt crudelitati nefaricæ legiones ad urbem adducere, & eas in cervicibus nostris collocare cogitat.* Et de natura Deorum: *In 4. imposuisti in cervicibus nostris sempiternum dominium.* Absque jugi vero signo in obsequii significatum vitula est Osee x. quæ trituram amare docta, supra Ephraëmei colli pulchritudinem transitura fit.

DE DORSO. CAP. LVIII.

Cervici subijcitur dorsum. In dorso gibber esse solet. Gibberosus homo hieroglyphicum ejus est, qui, ut in Divinis literis habetur, rejicitur à facris, eumque significat, qui flagitiorum facina oneratus est, neque tamen errorem aut delictum intelligat suum: utpote qui non videat maneticæ, quod in tergo est. Vide vero illud: *Quid operatur gibberosus quasi reclusus?* ab Rege Israel dictum in Regem Syriæ.

FUGA. CAP. LIX.

Dorsum autem fugæ manifestum est hieroglyphicum. Unde 1. Regum, ubi de Dagonis idolocæsura scribitur: *Arca Domini juxta locata, noctu fractum dissiluisse, maneque dorsum ejus tantum inventum, quod indicium fuit, veri numinis adventu talsum ejectum, & in fugam actum.* Nam qui fugiunt, persequentibus dorsum dant. Eadem sententia in Psalmò scriptum: *Quoniam pons eorum dorsum, hoc est, coges eos arrepta fuga dorsum obvertere.* Id nostri dixere: *Terga dare.*